

O. i. 810.(1-39).

VLTIMAS  
ORATIONES  
NONNVLLORVM  
GYMNASII CIVIVM  
IN  
AVDITORIO MAIORI HABENDAS  
AD DIEM X. MARTII CCXLIV.  
INDICVNT,  
ET AD  
EASDEM AVDIENDAS  
MAECENATES, PATRONOS,  
FAVTORES ATQVE AMICOS  
INVITANT  
DIRECTOR ET PROFESSORES.

---

ALTONAE,  
EX OEFICINA GYMNASII REGII ACADEMICI OPERIS  
BVRMESTERIANIS.



~~XXXIX~~  
39

YITIMAS  
ORATIONES  
GYMNASTICAVIA  
ADDITIONALI HIBERNIAS  
AD DINUM MARTINUS PROCOCTA  
BASIDI VADIDIVS  
MAGNIFICATIS PATRONOS  
EVANJELIOS VITAE AVILES  
INVENTORI  
DIRECTOR & PROFESSORIS  
EXCELSISSIMA GYMNASII RECHI AGEMENSIS SEPIUS  
TARMEISTERIANA



DE

## COMETIS MAGNARVM CALAMITATVM PRAENVNTIIS.

**C**LEANTHES e porticu philosophus, laboris, frigoris, inopiae famisque patientia paeclarissimus quatuor de caussis, referente Cicerone (a) in animis hominum informatas Deorum esse notiones dixit. Primam posuit eam, quae orta esset ex praesensione rerum futurarum: Alteram, quam ceperimus ex magnitudine commodorum, quae percipiuntur coeli temperatione, foecunditate terrarum, aliarumque commoditatum complurium copia: Tertiā,

A 2

(a) De Natura Deorum Libr. II. C. 5.

tiam, quae terroreret animos fulminibus, tempestatibus, nimbus, niuibus, grandinibus, uastitate, pestilentia, terrae motibus, et saepe fremitibus, lapideisque imbris, et guttis imbrium cruentis; tum lapidibus, aut repentinis terrarum hiatibus; tum praeter naturam hominum pecudumque portentis; tum facibus uisib coelestibus; tum stellis iis, quas Graeci COMETAS, nostri crinitas uocant, *QVAE NVPER BELLO OCTAVIANO MAGNARVM FVERVNT CALAMITATVM PRAEVNTIAE*: (b) Quartamcausam esse, eamque maximam aequabilitatem motus, conuersionem coeli, solis, lunae, siderumque omnium distinctionem, uarietatem, pulcritudinem, ordinem; quarum rerum adspectus ipse satis indicaret, non esse fortuita.

Nihil sane tam leue, tamque exiguum est, quod non summi conditoris sui potentiam, sapientiam, bonitatem declareret. Non tenuis inuenitur cespes, qui non significat esse Deum. Quo ampliora autem, et sublimitas constituta sunt illa coeli corpora; eo magis hominum animos commouere, et ad quandam, quasi diuinitatis sensum rapere solent. Unde a diuino Psalte (c) dicitur: *Coclos Dei gloriam enarrare;* et a PLATONE

*ἀναγκαῖον φυχὴν εἰς τὸ ἄνω οὐρανόν.*

Ornatissimum et uarium coeli opificium non modo summa, et honestissima animum demulcit uoluptate; sed diuinae maiestatis admiratione etiam perfundit. Sordere incipiunt pia rerum coelestium consideratione occupatis terrena, nempe parua prae magnis, humilia prae sublimibus, caduca prae

(b) Tacitus Annal. Libr. 14. cap. 22. *Sidus cometes effulgit de quo uulgi opinio est, tanquam mutationem regis portendar. Suetonius in Vita Neronis, cap. 36. Stella crinita, quae summis potestatisibus existim portendere uulgo putatur, per continuas noctes ortis cooperat.* Dissertationes et Iudicia doctorum hominum de significatu cometarum concessit IOH. ANDR. BOSIVS. Videatur quoque Stanislans Lubtenitus in Theatro cometico,

(c) Psalm. 18. 2.

perpetuis. Modeste sentire nos docet immensa coelorum amplitudo de opibus et potentia mortalium; nihil enim in rebus humanis esse constans, firmum, pulcrum praeter uitatem, et maximarum rerum cognitionem intelligitur. Quare non uere minus, quam scite canit *OVIDIUS* in primo Fastorum:

*Felices animae, quibus haec cognoscere primis,  
Inque domos superas scandere cura fuit.  
Credibile est, illos pariter uitisque iocisque  
Altius humanis exseruisse caput.  
Non Venus, et uinum sublimia pectora fregit,  
Officiumque fori; militiaeque labor,  
Nec leuis ambitio, perfusaque gloria suo,  
Magnarumque fames sollicitauit opum.  
Admouere oculis distantia sidera nostris,  
Aetheraque ingenio supposuere suo.  
Sic petitur coelum.*

Praeclara fidelis scientiae nobilitas omni fere tempore uel reges et summos principes allexit, ut nullum facile aliud studium magis excoluerint. De *SALOMONE* regum sapientissimo liber sapientiae haec habet: (e) *Ipse mihi dedit cognitionem certam, ut cognoscam principium, finem, mediumque temporum; solstitiorum mutationes, et uarietates tempestatum, anni circuitus, et stellarum situs.* *IVLIVS CAESAR*, qui temporum rationes a sacerdotibus misere conturbatas ad coeli formam reuocauit, apud *Lucanum* (f) ait.

*Media inter proelia semper  
Stellarum coelique plagis, superisque uacuis.  
Nec meus Eudoxi uincetur fastibus annus.*

A 3

De

(d) Libr. VII. de Republ.

(e) Cap. VII. 13.

(f) Libr. X.

De *ALPHONSO* rege Castiliae, *WILHELMO* Hassice Landgrauio,  
et aliis in praesenti dicere nil attinet, quippe quorum laudes  
et insignia, quae in astrorum cognitione posuerunt studia, nul-  
ta unquam obliterabit obliuio.

Verum enim uero illaudatus et ignobilis mos est, quo  
homines in considerandis rebus coelestibus uulgo utuntur,  
cum noua magis, quam antiqua, parua quam ingentia, tran-  
seuntia, quam affidus mirantur. Fulgidissimum solis corpus,  
quo souemur, splendidus lunae orbis, qui nocturnas disspellit  
tenebras, uix adspectu, et contemplatione digna habentur. Ex-  
orientem autem nouo fidere, quod raram prae se fert speciem,  
compita concursantur, oculi ad coelum conuertuntur, mens  
stupet, sermones de nouo coeli monstro feruntur, et nemo  
non sciscitandi audiendique rationem eius cupiditate flagrat.  
Nonnullos pauor angit, maximarum enim calamitatum nunti-  
tium diuinitus missum adesse putant. Antiqua nempe animis  
insidet opinio :

*Nunquam terris spectatum impune Cometen.*

Ita quidem quotidiana uilescunt; Rara mouent sensus: Pro-  
xima negliguntur; Remotiora curantur. Vere de his di-  
xeris:

*Alcor uiderunt; sed plenam lunam non uiderunt.*

Quid uero mira crinitae stellae forma, quam uel doctissimi  
sibi tandem aliquando offerri propius inspiciendam, hoc secu-  
lo saepius optarunt, intuitu indigna, et quotidie sub adspe-  
ctum uenientibus postponenda est? Non temporealem rarae  
stellae admirationem, sed perpetuum amplissimorum coeli  
corporum contemptum uituperamus. *Causarum enim ignoratio*  
*inquit CICERO* (g), *in re noua mirationem facit.* Quo rarius  
cometes flamma in coelo coruscat; eo curiosius intuenda est.  
Quid

(g) *Diuinat. Libr. 2. cap. 22.*

Quid enim ad horum corporum naturam, motus, mutatio-  
nesque demonstrandas aptius, quam considerata ad haec at-  
tentio, pristinorum cum praesentibus comparatio, et de fu-  
turis sapiens coniectura?

Merito maiorum nostrorum tempora dolemus, quos flam-  
mans stella partim tanto formidinis stupore perfundebat, ut  
naturalem eius ortum, formam, et cursum uix obseruare pos-  
sent, nonnisi de diro mortalibus omine, et inauspicatissimis  
malorum uaticiniis cogitantes. Tum colorem, tum magni-  
tudinem, tum motum ipsamque sideris quietam stationem ad  
suas belle instruendas praedictiones in consilium adhibebant.  
Iam pallidum, iam nigrum, iam rutilum igneumque astrum  
ipsis uidebatur, unde mortem, pestem, ferrum, flammamque  
portendi clamitabant. Quo maior stellae figura, eo graui-  
ores fore calamitates, totidemque annos perduraturas, quot  
dies horridum coeli conspiciebatur prodigium, sibi persuade-  
bant. Astra, quae transfibat stella crinita, ad regiones, regna,  
urbes, quibus monstrantur pericula; immotum denique e-  
ius positum ad discordias, motum, et seditiones, nescio qua  
accommodatione, referebant. At enim uero lubrico haec su-  
perstrui fundamento, quis non uidet? Colorem enim come-  
tarum quod attinet, hic quidem ut in aliis, sic in his praeser-  
tim sidereis luminibus diuersus esse solet; hanc autem varia-  
tionem ab ipsa aeris terram nostram ambientis constitutione  
plerumque profici sci, neque ullam inde ad malorum genera  
argumentandi firmam repeti posse rationem, omnes, quot-  
quot rerum naturalium haud imperiti sunt, norunt. De ma-  
gnitudine deinde cometici corporis magis ambigua res est.  
Nunquam enim ueram eius conspicere nobis datur figuram,  
accedendo crescere, recedendo decrescere uidetur, donec  
lento regressu oculis omnino subducitur. At quando? quo  
die? Sub iudice semper lis est. Acutiore enim usu instructis  
adhuc obuersatur cometes, cum hebetiores oculi euauisse  
eum contendunt. Exercitatis in siderum obseruatione per te-  
lescopia

lescopia inuenitur, si nudis oculis frustra quaeritur; et atten-  
tis praeterea ad coeli mutationes plerumque prius in oculos  
incurrit, quam alis. Quis in tanta sententiarum discordia  
diem ortus, et occultationis sine omni exceptione et contro-  
uersia determinare, uel indubios temporis limites, infra quos  
malorum duratio continetur, describere potest? Quum de-  
mique regno uaſtitatem, urbi excidium, homini mortem mi-  
nitatur lugubris stella; cur mouetur? et iam ſupra terram ad-  
ſcendit, iam infra eandem recedit? Quare non regioni, moe-  
nibus, capiti infixā haeret, quemadmodum Iofēbus de quo-  
dam coeli prodigo Hierosolymae excidio ſuo uicinae imposi-  
to perhibet? Nulla euim peſtis tam ſacua, nullum bellum tam  
atrox, et nulla calamitas tam grauis unquam exſtitit, ut o-  
mnium terrarum fines caede, aut incendiis deuastati fuerint.  
Sunt ipſa mala mixta bonis. Vnius mors, alterius uita. Re-  
gna uaſtantur, ut alia amplifcentur. Trife ſemper bellum  
uictis; at lactiſſimum uictoribus praeda onuſtis. Saepe hinc  
admiratio ſubit animum, cur cometas lugubres malorum  
nuntios tantum; neque laetos ſimul bonorum praecones cum  
CHAREMONE philoſopho (h) eſſe uoluerint cometomantias  
auctores. Fumofum forte corpus, et pallidum nonniſi triftia of-  
fert ſpectacula. Verum adeo mens ſcelerum conſcia mala ex-  
timeſcit magis, quam bona ſperat. Primum fere in orbe fe-  
cit prodigium timor. Si dicendum, quod res eſt, cometarum  
in coelo micantem flammam non rarius fauſtam quam  
triftem rerum terreftrium excepiſſe faciem, historia docet. (i)

Putidam


(h) De quo Origines Libr. I. contra Celsum commemorat, adfirmasse  
ipſum, cometas felicitatis fortunaque eſſe praecureſe. Cui ſententiae  
ſubſcribit VINC. GVINISIVS Iefuita in Orat. De Cometae felicitate,  
nec non IOH. GEORG. GRAEVIVS in Orat. De Cometiſ contra uulgi  
opinione, eos eſſe malorum nuntios. Conf. Gottfr. Wendelini Terato-  
logia cometica.

(i) Pluribus et clarissimis hoc exemplis commonitrauit PETRVS BAYLIVS

Putidam et' omni fundamento destitutam eam, qua maiores partim usi sunt, e cometis hariolandi rationem esse uidimus. Supereffet, ut de horum corporum natura, ui et efficacia, si qua ipsis ineft, terrae tenebras, annonam, pestem, concusſiones, uafstationem, inundationem, et nescio, quae alia mala, inferendi loquamus. (k) Verum ne huius, qualiscunque est, ſcriptionis limites transgredi, et de triftibus magis fatis uerba facere, quam gratulari uideamur exoptatissimis adolescentibus, qui inter uos huc usque litterarum studia non sine laude coluerunt, nunc autem musas ualere iubent noſtras; haec quidem in praefenti omittere, et ad aliud, si quis dabitur aptior, locum reſeruare conſtituimus. Accipite igitur quoquot rei litterariae fauetis *PATRONI* et *AMICI* nomina eorum, qui diuersis temporibus in Regio Gymnasio ultimas recitabunt orationes. Ac proximo quidem

in *Perſées fur la Comète*. Lubienitus in *Theatro comericō* Vol. I. p. 55. duos notatu dignissimos; sed ELIAS maior ſeculi decimi ſexti ſcriptor germanicus in *Libello de Cometis* plures affert cometas, qui felicissima tempora antecafferunt.

(k) Grauiflma ſunt uerba MORHOFII: Astrologi ſuum, inquietis, antiquum obtinent, et in omnibus arcana quaedam uenantur. Mutatio-nes quasdam naturales per cometas contingere non est omnino impro-bable. Non enim ſine magna impressione eſſe potest, ſi tam uafſum corpus extra ſuos uortices feratur. Polyhist. Tom. II. Libr. II. P. II. Cap. XII.



DIE X. MARTII.

FRIDERICVS IACOBVS OEDING.

Blanckenburgensis.

Qui per plures annos tum in Paedagogio tum in Gymnasio suam in litterarum cultura diligentiam ingeniumque comprobauit. In sacra praesertim doctrina plurimum profecit, ut cum fructu a nobis discedat de Curiositate in Theologiae studio nimia ac temeraria dicturus.

WILHELMVS CAROLVS CHRISTIANI.

Rendsburgensis.

Per biennium, quo nostris interfuit, morum tranquillitate, industriaeque constantia doctorum suorum uotis exacte satisfecit; prosectoribus tum in linguis, tum in scientiis commilitones partim uicit, maximamque sui omnibus commendationem fecit, dignus, cuius inopiae lauatori stipendio subueniatur. Oratione graeca, quam primi in Paedagogio ordinis ciuis publice recitauit, ingenii uires demonstrauit. Discedens beneficentiam praesertim Viri summe Reuerendi IOANNIS BOLTENII Regii Consiliarii, Praepositi, et Scholariae spectatissimi, cuius indultu liberalem conuictum regia munificentia industriis, et probis litterarum in hoc Gymnasio cultioribus clementissime concessum habuit, praedicabit oratione de libertate hominum.

NICO-

## NICOLAVS FRIDERICVS IEBENS.

Meldorpio Dithmarsus.

Viri, dum in uiuis esset, generosi IOANNIS IEBENS, Potentissimo Regi Daniae a Consiliis Camerae filius. Morum alacritate ingenioque haud infelici praeditus iuuenis; qui si iam firmum ac constans uitae propositum secutus fuerit, spei suorum nostraeque respondebit. In praesenti hystriam uani timoris remedium esse oratione Germanica demonstrabit, atque ita officio grati animi abiturus defungetur.

## PETRVS GORRISEN.

Sonderburgensis.

In Paedagogio pariter, atque in Gymnasio per biennium suam exercuit diligentiam. Publice dicentibus semel interfuit. Ea, quae ad sanctae doctrinae cognitionem comparandam faciunt pro ingenii, et ualeitudinis ratione curae habuit. Gratum doctoribus profitebitur animum, et huic bonarum artium emporio ualedicet de Eruditis operariis dicturus, et simul nomine omnium gratias aget.

## IOANNES KANVTZ.

Apenradensis.

Viri consultissimi FRIDERICI KANVTZ, qui ciuitati Apenradensi a secretis est, filius. Ordine postremus quidem; at ingenii uigore, dexteritate, et bonarum litterarum scientia

commilitonibus, si non anteferendus, horum certe nemini secundus. Maximam de se spem concitauit, neque dubitamus, fore, ut eam non sit expleturus tantum, sed quoque superaturus. Luculentissima enim ingenii et probitatis specimina edidit, quibus adiunget ultimum de proverbio, *quo Icti non probi dicuntur Christiani*, disserens.

Interieicto autem aliquo temporis intervallo valedicendi causa cathedram consident, et quidem

### SAMVEL VALENTINVS POSSELT.

Apenradensis.

Maxime Reuerendi M. CHRISTIANI POSSELTI Pastoris optime meriti dignissimus filius, litteras apud nos tanta percoluit animi contentione, ut parteria optima quaeque sibi de eo polliceri poscit. Morum honestatem cum discendi cupiditate coniunxit. Ingenii periculum fecit publica, quam defendit, dissertatione; ultima autem inter nos defungetur opera oratione *de Tribus in mundo malis*.

### NICOLAVS MARTENS.

Hadelensis.

Semestri in Paedagogio laudabiliter peracto, duorum an-

no-


norum, et quod excurrit, ciuis Gymnasi fuit non otio et desidiae deditus, sed improba diligentia, ne qua in re sibi deesset ipse, prouidens. Hinc linguarum studia cum iis, quae ad ueram sapientiam pertinent scientiis utilissime coniunxit, omniumque sibi fauorem conciliauit. Valere Gymnasium iubebit de *Summo bono* uerba faciendo.

## SIMON SIMONSEN.


Gieffstadio Haderslebensis.

Annum integrum ac dimidium inter nos egit, atque eam uitiae rationem fecutus est, quae merito aliis in exemplum proponi queat. Nam modestia et concinnitate morum, industria, obsequio legibus praefrito, et ingenuo amore obseruantiaque erga nos amabilem se omnibus reddidit, neque unquam cum quoquam in gratiam redire necesse ei fuit. Post uarias in disputando priuatas exercitationes postremum orabit de *Coniunctione Philosophiae moralis cum Iurisprudentia*.

Prio-



Priores domesticis rationibus auocati, sarcinas iam colligunt, abitumque accelerare coguntur. Ad diem igitur decimum mensis Martii non sine uotiis acclamationibus ultimum nobis dicent uale. Postiores autem excepto postrema aliorum commilitonum laudabili exemplo commoti iterabitumque differunt ad aestatem usque, ut solennitatibus, quibus hoc uirtutis scientiarumque domicilium Clementissimi optimique Regis munificentia dedicabitur, interesse possint. Faxit Deus, ut fausto fidere tum illi, tum hi abeant, suasque res nunquam non optime gerant. Vos uero PATRONI et AMICI hororum uirtutumque titulis condecorandi, fauete adolescentibus in spem patriae excrescentibus, eosque loquuturos beneuole audire ne dignamini.







01 Á 6519

ULB Halle  
002 928 736

3



Sik. 7 = Zschr.

5b.

Rub. ✓

K





VLTIMAS  
ORATIONES  
NONVLLORVM  
GYMNASII CIVIVM  
IN  
AVDITORIO MAIORI HABENDAS  
AD DIEM X. MARTII MDCCLXLIV.  
INDICVNT,  
ET AD  
EASDEM AVDIENDAS  
MAECENATES, PATRONOS,  
FAVTORES ATQVE AMICOS  
INVITANT  
DIRECTOR ET PROFESSORES.

ALTONAE,  
EX OEFICINA GYMNASII REGII ACADEMICI OPERIS  
BVRMESTERIANIS.



XXXIX  
39